

scurant dilucularii nostri, infirmantque suis illis consuetis formulis, quas supra commemoravi. Quid enim? Si tibi nominanti jus tuum ita respondeam: interest mea quoque, quid agas: nexus est tuas inter measque actiones: jus cavendi mihi est, nequid rebus meis detrimenti inferas, meaque commoda intercipias: consequenter negotia tua mixta censenda sunt, et meo-tua, tuo-mea nuncupanda. Atque hæc quidem, mi Theophile, si de vi atque usu humanæ rationis probe expenderis, mentique tuæ infixeris, verendum tibi haud est, ne, cum doctrinæ, pietatique pari studio des operam, domum tuam supra arenam ædificare videaris (1), omnique doctrinæ vento circumferri debeas (2), semperque discere debeas, nunquam ad scientiam pervenire possis (3). Reliquum est, ut, cum de usu institutionum mearum, quantum necesse videbatur, dixerim, omnem earum deductionem eo, quo confectæ sunt, ordine ponam ob oculos.

INSTITUTIONUM JURIS NATURALIS

LIBER I.

JUS NATURÆ PRIVATUM.

CAPUT I.

Inquisitio naturalis juris a contemplatione naturæ inchoanda est.

1. **N**E quid obscuritatis pariat ambiguitas vocum, quando ex natura rerum hominisque manare dicimus naturale jus, naturæ nomine universitas rerum significatur extra homi-

(1) *Matth. VII, v. 26.* — (2) *Ephes. IV, v. 14.* — (3) *II. Tim. III, v. 7.*

nem conditarum, sed quæ hominum necessitati, commoditati, honestæ voluptati accommodatæ sunt, quæ apprehendi ab hominibus, teneri, usibus aptari possunt. Accuratioior homini de ipso homine cognitio est necessaria ad eruendum jus. Eam dat analysis, singilatim exhibens mentem, corpus, res externas illas, quæ homini quodammodo adhærescunt.

ii. Homo naturæ vinculis quibusdam adstringitur aliis hominibus, sed nemini propius, quam ipse sibi. Omnium arctissime pendet a Deo, summo Conditore, Governatore, Fine ultimo rerum. Is nexus hoc indicatus loco ad actiones hominis applicatur §. ix et x; ad obligationes naturales §. xi; penitus evolvitur §. lxi et binis sequentibus; accommodatur ad statum civilem §. ccxxvi et sequente §. ccxxxiv (a) fin. Non enim in ea hæresi sumus, ut eo acutius philosophari nos de naturali jure credamus, quo longius ab eo mentionem summi Numinis removerimus.

iii. Ad analysin naturæ hominis diversi ejus status pertinent, qui segregandi sunt. Statum absolutum non excludere omnem societatem, itidem indicatur §. cclxviii.

iv. In natura hominis, in nexu cum aliis, in statibus insunt fines; in finibus inest 1. ordo, 2. in quovis ordine insunt gradus, 3. gradibus respondet proportio et accommodatio mediorum. Hæc tria summi momenti sunt, et per omnem juris disciplinam vagantur latissime. Inde explicatum habet apparens collisio officiorum. §. xxii (e). De ordine finium conf. lxxx de mediis §. cvii. Is ordo adventitio statu non turbatur §. ccxxiv.

v. Fructus ex præcedente Analysisi proveniens.

CAPUT II.

Contemplatio naturæ ad cognitiones practicas hominem deducit.

vi. Progressum rationis humanæ a theoretica ad practicam cognitionem cum parum observarent nonnulli, contigit, ut theoreticas veritates pro lege habuerint naturali, istamque citra voluntatem summi Dei posse cogitari statuerent.

vii. In practicis cognitionibus distinguere oportet ; 1. id, quo regitur actio, 2. id, quo libertas afficitur certo modo ; 3. denique id, quo proposita cognitione voluntas cietur, et agitur.

viii. Dicta rationis, quæ insunt in hominibus, legis nomen participant. Rom. ii, v. 14. Si quæritur, quæ vis insit hisce dictatis, reipsa de existentia juris naturæ quæritur, cujus principium theoretica cognitione contineatur, necesse est.

ix. x. Deductio obligationum, consiliorum, et jurium seu facultatum moralium naturæ fit ex interna relatione ad perfectiones summi Dei.

xi. Resolvitur *obligationis* idea, quæ, cum imaginaria sit, reducenda est ad realem.

xii. Eodem quasi filo deducuntur *consilia* naturæ, ne totum id, quod laudabile aut æquum est, continuo necessitati subjiciatur, repugnante infirmitate naturæ hominis. Inde intelligitur illud : *jus civile neque totum a naturali vel gentium recedit, neque per omnia ei servit.* L. 6. D. de J. et J. Exemplum extat §. cxliii (i).

xiii. Juris seu facultatis moralis a natura concessæ multiplex partitio est. Expenditur illud : *jus ad finem dat jus ad media.* Ceterum quoniam jura data sunt nobis a natura ad fines aptos, nempe ad actiones completas, et naturali fine quodammodo imbutas ; idcirco quærenti, sitne jus eundi, loquendi, movendi manum, pedemve etc. responderi nequit, nisi addendo finem naturæ consentaneum e. g. sanitatis, negotii, molestiæ evitandæ causa. Ac tum quoque, si per se finem habet actio, is ab agentis intentione segregandus est, ut tum hac intentione, tum adjunctis spectatis aliud sit jus, alius rectus usus juris.

CAPUT III.

Obligationum ac jurium naturalium genera varia.

xiv. Sunt obligationes et jura affirmativa et negativa.

xv. Connata et acquisita ; quæ inter personas morales maxime elucent §. cclxx.

xvi. Absoluta et hypothetica, orta ex pactis, dominiis, statibus adventitiis.

xvii. Perfecta et imperfecta. Conf. §. cclxix.

xviii. Interna, et externa ; quæ partitio ad tolerantiam notionem animo informandam pernecessaria est.

xix. Personalialia, quæ communicari vel abdicari non possunt : et abdicabilia.

CAPUT IV.

Obligationes et jura naturæ reducuntur ad unum principium generale.

xx. Cum maxima sit doctorum in statuendo ejusmodi principio dissensio, ei componendæ quoquo modo nulla aptior videbatur via, quam si in originem et causas dissensionis inquireretur.

xxi. Principium *cognoscendi*, de quo uno quæstio esse potest, ipsa statuitur natura, nimirum complete sumta ; et sic quidem ab hac thesi non magnopere dissentiunt ii, qui in divinis perfectionibus principium collocant. Ex principio juris, proprietates ejusdem manant.

xxii. Notio et regulæ de apparente collisione legum et officiorum, nempe ex ordine et gradibus finium.

xxiii. Hobbesiana hypothesis de naturali jure. Eam velim expendant diligenter scrutatores jurium, et cum iis conferant argumentandi formulis, quibus hodierni interpretes sacrorum jurium identidem utuntur.

xxiv. Pufendoriana socialitas non contemnendas de socialibus officiis animadversiones continet. Sed hoc quoque loco distinguere debent ordines et gradus finium.

CAPUT V.

In humanis actionibus non modo jura et obligationes, sed præterea adjuncta varia, et fines agentium spectari debent, ut habeatur actionum moralitas completa.

xxv. Notiones et principia hactenus indicata eo pertinent, ut de actione *in se*, sive ex objecto, ut ajunt,

spectata, primo disquiri debeat, bona an mala sit. At constat vel ex theoretica philosophia et mechanica, quantopere a theoria abludat praxis. Id in re quoque morali usuvenit, in qua ad internam actionis bonitatem agentium fines et intentiones, ac præterea adjuncta varia accedunt. Condensavi hoc loco ea, quæ multis verbis diducuntur a scriptoribus moralium rerum. At vocabulorum multitudine nihil recte conficitur in disciplinis. Illud potius curandum, ut notiones abstractæ, principiaque generalia singularium casuum proposita inductione clareant, et discentes assuefiant, abstracta ad concreta reducere, et in concretis intueri abstracta. Fit enim, ut homines in mundo et physico et morali versentur mediis, quin ad phænomena, quæ perpetuo eveniunt, animum advertant.

xxvi. Circumstantiæ actionis.

xxvii. Finis non tam actionum, quam agentium, exemplum extat §. cccr.

xxviii. Actio indifferens. *Indifferens* vel *adiaphorum* alio longe significato appellant dilucularii nostri. Quando enim de negotiis religionis, et pietatis exercitiis agunt, in numerum rerum *indifferentium* conjiciunt, quidquid ad sempiternam obtinendam salutem absolute necessarium haud est, etsi idem maxime pium sit, sanctumque, a divino ipso Servatore laudatum, a sanctissimis viris comprobatum, longo usu confirmatum, proindeque summe idoneum illi explendo principis apostolorum præcepto: *fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* II. Petr. I, v. 10. Atque hæc adiaphora citra detrimentum imminui, tolli, immutari posse censent, non ecclesiastica tantum, sed profana etiam potestate, quæ negotia religionis cum fine civitatis conciliare obligetur. In idem cadit, atque eodem proposito excogitata est distinctio inter essentialia atque accidentalia negotia et jura Ecclesiæ. Conf. §. lxxvii (e). Atque hi quidem, si de profanis, et caducis rebus, quæ non duræ necessitati duntaxat, sed commoditati quoque, et honestæ jucunditati accommodatæ sunt, similiter, ac

de sacris sentirent, statuerentque; profecto jam glandibus vesci, et equitare in arundine longa deberent. Conferant, quæso, sempiternæ salutis divinæque religionis gravissimum momentum cum inanitate caducarum commoditatum, atque de his tantundem detrahi sibi patiantur, quantum de illis decerpi atque abradi cupiunt; tum vero haud longe aberunt ab exsequendo apostolico monito: *habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus... nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quidquam possumus;..nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* I. Tim. VI.

CAPUT VI.

Posita moralitate completa actionum, præcipua earum affectio est imputabilitas.

xxix. Doctrina de imputatione maxime propria est jurisprudentiæ. Quando enim leges generales ad speciem facti applicantur, videndum est sæpenumero, utrumne et quatenus actio imputari possit.

xxx. In quos actus cadat imputatio, in quos non cadat.

xxxi. Ex parte intellectus imputationi obstat ignorantia.

xxxii. Ex parte voluntatis imputatio postulat voluntarium; cujus multiplex et memorabilis partitio est. Notio quidem ejus, quod *indirecte* voluntarium dicimus, satis frequentem usum habet. Negant, potestates binas, quæ supremæ sunt in suo genere, et independentes, qualis est sacra et profana potestas, alteram in alteram vel indirecte quidquam posse. Et tamen secundum dilucularios plura potest civilis potestas circa res sacras; quare? propter nexum, inquirunt, quem Sacra cum profanis habent. Quid est hoc, nisi indirecte posse?

xxxiii. Coactio obest imputationi.

xxxiv. Anne metus quoque? qualis, quantusve?

CAPUT VII.

Non modo suæ cuique actiones, sed aliorum etiam sæpe imputantur.

XXXV. Contingit non raro, ut in eandem actionem consentiant, vel conspirent plures; ac si homines adventitio societatis statu copulati sint, multo etiam citius et frequentius usuvenit, ut alterius actiones alteri adscribi possint, debeantque; generatim ergo magnitudo et modus istius veluti influxus explicandus est, qui ab aliis in aliorum actiones fit.

XXXVI. Modus est multiplex, ac primo jussio et mandatum.

XXXVII. Dein consilium.

XXXVIII. Consensus.

XXXIX. Palpium.

XL. Receptus.

XLI. Participatio.

XLII. Hi quidem positivi erant modi: alii sunt negativi.

CAPUT VIII.

In moralibus actionibus spectatur quantitas moralitatis earundem in se, et relate ad imputationem, atque ad agentem.

XLIII. Bonitas et malitia actionum, eique respondens laus, aut vituperatio, præmium aut supplicium, majora esse vel minora, exaggerari aut elevari possunt. Inest ergo in moralitate actionum notio magnitudinis, seu quantitatis; cujus determinatio quoddam matheseos genus est; quo examinari, ac definiri potest, 1. *pondus* ac momentum actionis in bonam, malamve partem: 2. *mensura*, ob quam commodum actionis, aut incommodum late patet, vel contra: 3. *numerus* actionum generis ejusdem. Casuum conscientie explicatores, uti obligationum, ita et peccatorum velut mathesin quandam sibi propriam fecerunt. Hoc autem loco generales indicantur causæ, ex quibus moralitatis quantitas augeri, minuive potest.

XLIV. Ipsarum actionum aliæ aliis meliores sunt, aut pejores, specieque differunt.

XLV. In eadem specie insunt imputationis gradus.

XLVI. Pro adjunctis quoque variis crescit aut decrescit moralitatis et imputationis magnitudo.

XLVII. In factis, seu actionibus singularibus omnia, quæ antea enumerata sunt, una concurrunt.

CAPUT IX.

Moralitas actionum et imputatio etiam maxime refertur ad conscientiam cujusque.

XLVIII. Imputatio actionum non in foro tantum externo, sed interno quoque fit, cujus plurimam rationem habent sacri canones. Famosa probabilismi controversia longo jam tempore non argumentis solum, sed conviciis etiam et calumniis jactata, propriam sedem, quod mirabuntur nonnulli, in disciplina juris naturalis habet; haud agre tamen a prudente quovis jurisconsulto theologis ceditur; quamquam præscriptionum jura diversas inter disciplinas haud magis fortassis, ac inter diversas gentes obtinent.

XLIX. Poscit tamen instituti ratio, ut primo notiones conscientie, variorumque dictaminum, quæ nominantur hoc loco, quantum necesse est, explicetur.

L. Dein affectiones conscientie antecedentis, ut vocant, quarum mentio etiam in sacris fit canonibus.

LI. Denique naturales et inconcussæ de illa conscientia obligationes.

LII. Ex quibus controversie indicatæ status enascitur.

LIII. Non prætermittendum aliud est conscientie genus, quod *consequens* nuncupatur.

CAPUT X.

Alia est humanarum actionum affectio, qua validi dicuntur, aut nulli.

LIV. De valore gestorum actuum dubitationes gravissimæ et frequentes lites, quæ in jurisprudentia civili et canonica proveniunt multis locis, ad jus denique naturale devolvi

debent, aliter exitum non habituræ. Unde generales notiones, principiaque necesse est stabilire, quæ, fateor, non nullo egent acumine, ut satis perspiciantur, apteque applicari queant. Generatim, si, valeatne actus, an nullus sit, quæritur; ejus substantia, seu forma spectanda est, undecunque definita, ac vis nominis expendenda, quod modum complexum exprimit, ut dialecti nuncupant.

Lv. Dein ratio habenda juris seu facultatis moralis, qua pollet, qui actum gessit.

Lvi. Præterea consensus et voluntas agentis.

Lvii. Denique id, quod *materiam* actionis dicimus, vel quod ab agentibus in pactum deductum est.

Lviii. Ex hisce principiis dirimitur controversia de valore actuum, qui vi, metusve causa gesti sunt.

Lix. Passim hodie generalis agitur quæstio de actionibus, quæ prohibitæ sunt, utrumne continuo pro nullis haberi debeant.

CAPUT XI.

In numero naturalium officiorum ea primum sibi vindicant locum, quæ summum Deum, ac religionem proxime attingunt.

Lx. Uti jucundum est viro probo, illum investigare arctissimum nexum, quo natura omnes nos ac singulos cum divina atque æterna et perfectissima mente adstrinxit; ita idem facere diligentissime pernecessarium est. Sunt enim, quæ nostrorum est labes temporum, qui naturalia jura citra mentionem de summo Deo definiiri a se posse non erubuerunt gloriari, perinde, imo etiam multo falsius, ac si quis familiæ, aut civitatis jura citra mentionem de familiæ aut civitatis capite explicare vellet. Sed hoc quidem modo penitus manca fit disciplina naturalis juris, et infirma, quin perniciosa; manca quidem, utpote destituta summi momenti de colendo Deo naturalibus officiis; dein *infirma*; quia validissimis internæ obligationis disruptis vinculis, velut incisis nervis flaccescat necesse est; denique et *perniciosa*, quæ id demum efficiat, ut præcipuis actionum momentis a

caduca petitis felicitate, non possint non depravari discentium animi. Quapropter, quæ jam §. II. indicata sunt vincula, quibus ab ipsa natura adstringimur supremo Numini, latius hoc explicanda loco sunt; ea triplicis esse generis diximus;

Lxi. Nempe: ex Creatoris idea provenientia.

Lxii. Ex ratione Gubernatoris:

Lxiii. Denique finis ultimi rerum, maximeque hominis.

Lxiv. Ex his officia theoretica erga summum Deum primo omnium profluunt.

Lxv. Dein practica; non modo interna,

Lxvi. Sed externa quoque. Ac cultus quidem externus supremi Numinis, quibus maxime actibus contineatur;

Lxvii. Dein, quibus nitatur rationibus ex natura petitis, difficile demonstratu haud est.

Lxviii. Ex dictis notio religionis efflorescit, atque evolvitur.

Lxix. Deceptrices quoque de naturali religione ideæ expurgantur; transiturque ad revelatam;

Lxx. Cujus et investigandæ,

Lxxi. Et seligendæ,

Lxxii. Et profitendæ gravissima naturæ obligatio patet.

Lxxiii. Appositus hic est secundum rationis dictata definiendæ autonomiæ locus;

Lxxiv. Ejusque ex iisdem principiis reprobandæ.

Lxxv. Officiis religionis opposita respondent delicta.

Lxxvi. Quomodo officia erga summum Deum, ad res, et loca, et personas eidem dicatas et consecratas sese exporrigant, indicandum hic potius, quam explicandum videbatur.

CAPUT XII.

Officia hominis erga hominem numero, pondere et mensura respondent analysi naturæ complete sumptæ.

Lxxvii. Officiis erga summum Deum obeundis assuefactus, haud ita facile in iis delinquet, quæ sibi met et quovis, aut hominibus aliis sunt exhibenda. Nam illas etiam actiones, quæ nosmet, aliosve homines attingunt proxime, ad divinas referri perfectiones, ostensum est.